

capitaneo. ¶ Item quod mitantur ad custodiam dicti Castri de Mocho decem stipendiarii et ad custodiam Mocholani septem stipendiarii. ¶ Et quod omnes cives et habitatores civitatis Tergesti, preterquam capitanei suprascripti, tam masculi quam
5 femi(ni)ne ire debeant personaliter ad custodiam dictorum // 98 B
castrorum per rodolum, sub hac forma: quod fiat unus quaternus, in quo scribantur predicti cives et habitatores civitatis Tergesti euntes ad custodiam dictorum castrorum,¹⁾ quorum
alii mittantur per quindecim dies, alii per octo dies, alii per
10 quatuor dies, secundum possibilitatem²⁾ personarum et secundum inpositionem eisdem fiendam per dominium Tergesti.
¶ Qui vero cives et habitatores predicti ire debeant ad dictam custodiam secundum quod eis fuerit preceptum per dominium Tergesti, et nullus mittere possit per se ad dictam custodiam,
15 exceptis infirmis, de quibus facta fuerit fides modo supradicto, et exceptis illis qui essent extra districtum Tergesti, de quibus etiam facta esset fides dominio, et exceptis mulieribus, qui et que mittere debeant unum hominem sufficientem legitime etatis qui possideat bona valoris ducentarum librarum pro se, ad
20 beneplacitum domini potestatis et suorum iudicum, presentando ipsum hominem eundem antequam mitteretur ad dictam custodiam, et hoc sub pena centum sold. pro qualibet persona contrafatiente et vice qualibet contrafacta; et illi stipendiarii qui irent pro aliis ad dictam custodiam, usque ad duos menses
25 susequentes nullo modo ire possint pro aliis ad custodiam dictorum castrum, postquam fuissent ad dictam custodiam, pena centum sold. pro quolibet stipendiario et // vice qualibet 99 A
contrafacta. ¶ Et illi qui ibunt ad custodiam dictorum castrorum nullo modo recedere possint a dictis suis custodiis ante
30 eorum terminum, salvo si venerit pro virtualibus vel irent pro lignis de mandato capitaneorum, sub dicta pena proxime predicta. ¶ Item quod dominus milex domini potestatis cum uno ex iudicibus comunis omni septimana ad minus semel, et plus sicut eis placuerit, ire debeat ad inquirendum custodiam dic-
35 torum castrorum, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quo-

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ *possibilitatem*.